



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 10. Machetes tria ipse passus, quæ in alijs temere judicauit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

ter familias, cum cerebroso marito in gratiam reditura, Basileam redijt, sed maritum haud ampliùs inuenit, cuius miserabili interitu comperto, protinus in curiam se effudit, & cum Patribus Reipublicæ illius conscriptis vehementissimè exposulauit, quòd maritum suum criminis istius exortem è finibus humanæ naturæ exturbassent, morteque infami deleuissent. Quare non solum mulierem sui à marito discessus, sed etiam magistratum, iniustæ aduersus innocentem sententiæ latæ serò poenituit: non poenituit autem Deum, qui tam multas grauesque iniurias mulieri illatas, in occasione habuit vindictæ marito reponenda.

§. X.

Machetes tria ipse passus, quæ in alijs temerè iudicauit.

Quod in his talibus proiectioris licentia hominibus facere iustissimum reorum Iudicem tantò minùs mirum est, cum etiam sibi magis addictos feriens talione sinat in ipsum peccatum labi, ut seipsum noscere discant, atque in viam redeant. Apud Cassianum, Abbas Machetes solebat narrare, tribus de causis potissimùm se Monachos

Cassian.
lib. 5. de
renunci-
antium
inst. c. 30.

temerè

temerè iudicasse. Primò cùm venisset ad Monachos quosdam, qui graui tumore intra os laborantes, tubereq; vehementer eos cruciante, medicinam mali excogitabant, procurabantque, vt tuber illud excinderetur. Quod vbi Machetes vidit, iudicauit, apud semetipsum, curationis huius sollicitudinem ex defectu mortificationis prouenire. Secundò malè habebat Machetem, quòd aliqui seu vitio ætatis, seu alia necessitate, compulsi, non nihil de seueritate disciplinæ Monasticæ remitterent, & pro capessenda quiete, pelle ex caprarum pilis confecta se cooperirent. Hos nimix sensualitatis condemnabat. Tertiò indignè tulit, quando vidit sæcularibus petentibus ex deuotione aliquid olei sibi benedici à Monachis, eorum postulatis annui. *Hoc, inquiebat, ingens presumptio est. & quadam quasi sanctitatis ostentatio.* Sed ecce diuinæ bonitatis æquitatem, idem Machetes, alioqui vir sanctus, palàm vltroque fassus est, permisisse Deum iustissimo iudicio suo, vt in omnes hos tres defectus (si quidem defectus sint) ipsemet laberetur, quos in alijs antè improbauerat. Nam & tubere illo intra os (Deo pœnas temeritatis hoc modo ab illo deposcente) enato

O 4

punitus

punitus est. Itaq; medicinam sectione, ob doloris magnitudinem, petere coactus est. Ex eiusdem morbi vi etiam operimento illo, seu stragulo ex pelle caprina vti adactus est. Deniq; importunitate sæcularium ita fatigatus est, vt oleum quoq; eis benediceret. Hæc de se ipso Machetes dixit, coronidemque illam addidit, hortando, rogandoque omnes, vt ipsius edocti seu exemplo, seu supplicio, iudicia temeraria, tamquam præsentissimam pestem, declinarent. Itaque nolite iudicare, qui non vultis iudicari: *in que enim iudicaueritis, iudicabimini.*

CAPVT XII.

Pœnam talionis, in omnibus elementis, redditam fuisse, è varijs Scriptoribus sacris demonstratur.

§. I.

Fulmina, seu alia Tela in authores retorta, et laderè cupientes ludentia.

IN ipsis quoq; Sanctorum historijs sæpe fit mentio, de hominibus, qui illis ipsis armis, aut instrumentis læsi sunt, quibus alios vel læserunt, vel lædere statuerunt; aut, vt dici solet, qui